

ASSERTIONES LEGALES,

De

MANDATO  
ET SOCIETATE.

QVAS

DEO AVSPICE,

PRÆSIDIBVS

*Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.*

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &  
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,  
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In Florentissimo Celeberrima Agrippinensis Academia Iu-  
ridica Facultatis Collegio publicè proponit*

IOANNES IACOBVS Dypenheimer / Sigmaringanus,  
Anno reparatæ Salutis M. DC. XXIX.  
die 30. Augusti.

27.



COLONIE AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.











## CONTINUATIO.

**E**Xpositis Contractibus qui rei interuentu perficiuntur nunc de ijs qui sola voluntate consumantur agendum est in quibus operam, & industriã ad vsũ vtilitatesq; coniungimus, ideoque res credenda in his contractibus non venit, enimuero de eadem re in genere vt in mutuo, vel specie, vt in deposito, reddenda hic non agitur, sed in priori scilicet mandato de faciendo aliquid gratuito. *l. 1. ff. mandati.* in posteriore de communicandis operibus & rebus quoad vsũ, non proprietatem tractatur.

### ASSERTIO PRIMA.

**C**VM Teste Vlpiano è re sit de verborum significatione aliquid principio dicere. *l. 1. in pr. ff. si cert. per.* Ideo huic obsequentes, vnde nomen mandati dicatur, dicemus; MANDARE, autem à manu danda dictum, quod in contractibus fideique promissione fieri solebat, *Vvesenb. n. 2. h. t. Tr. lit. A. disp. 27. th. 1. Bald. in rubr. h. t.*

2. Definitur mandatum, quod sit contractus Iuris Gentium nominatus, *l. 7. ff. de pact. bonæ fidei, l. 1. C. de furt. ex Consensu, l. 1. §. 2. ff. de rerum permut. de faciendo aliquid gratuito, arg. l. 1. §. 4. ff. mand. Tr. disp. & th. cit. Vvesenb. cit. Tholos. in suis syntag. l. V. c. 5. n. 3. lib. 27.*

3. Rectè faciunt qui cum Treut. hoc loci lit. B. officium, mandati genus negant, cum enim aliud sit patrimoniale, aliud personale, & mixtum, tot. cit. ff. de mun. & honor. nec ad vllam classẽ horum referatur, idcirco non sine fundamento hoc inficiantur.

4. Huic differentię quod sit contractus bonæ fidei. §. 28. *Inst. de act.* Non obstat, *l. 5. ff. b.* quæ fines mandati strictè custodiendas præcipit ex quo Tr. contractum mandati stricti Iuris esse concludit, ignorans rationem traditionem ab Egid. Hortens. ad §. 28. *Inst. de act.* quæ est quod sit vltro citroque obligatorius.



5. Cæterum differt ab alijs contractibus quod mandatum susceptum non sit omnino implendum contra *Tr. th. 6. de mand. & soc.* sed cum mandatum obligationem facti contineat, in cuius locum id quod interest succedit, *l. 13. §. ult. ff. de re iud.* igitur ad factum, ex hoc contractu præcise nemo cogitur, sed interesse præstando liberatur. *Bach. lit. B. th. 6. de mand. & soc. 10 an. Faber in §. recte. quoque. 9. Inst. mand.*

6. Mandatum ex parte suscipientis duplex est, aliud cui coactio inest, quod pro iussu à superiore factum sumitur cui parere necesse est, *l. 4. de R. I. l. 167. ibid.* Aliud spontaneum quod à volente tantum suscipitur ex conventionione hoc ratione materie vel est Generale, & quidem vel cum libera totorum bonorum administratione, vel sine libera, & hæc subdistinctio mandati generalis fundata est in *l. 58. ff. de proc. & l. 9. §. 4. ff. de acquir. rer. dom.* qui textus de proc. Cû libera accipiendi sunt, reliqui vero de procuratore, sed sine libera intelligendi, *l. 6. §. 6. ff. mandati l. 17. §. 3. ff. de iure iur. and. l. 34. ff. de solut.* Aliud speciale ratione formæ, aliud tacitum, aliud expressum, denique ratione finis aliud fit gratia vtriusque contrahentium, aliud in gratiam mandantis tantum, vel simul extranei, vel huius tantum, vel extranei, & mandatarij, *Treit. th. 5. loc. cit. Tholos. n. 1. 34. 7. & 8. d. loc. V. Vesenb. n. 3 b. r.*

7. Non minus elegans diuisio à forma defumitur quod aliud sit vel gratuitum, vel mercenarium, prius proprie tale est, *l. ita ut omnes 36. in pr. ff. h. r.* officia enim amicitia & fidei gratis præstanda sunt, cum his nihil magis contrarium sit quàm merces, ea enim in initio interveniēte in locationem, & conductionem, negotium transmigrat, § *fin. Inst. de mand.* posterius improprie tale dicitur dum salarium debetur vel ex conventionione vel promittitur in genere, vel Procuratori à Iudice taxatur. *l. 6. & 7. ff. mand.*

8. Causa efficiens mandati est consensus & voluntas contrahentium, *l. 1. b. r.* quæ ab amicitia & fide proficiscitur, *Cic. pro Rosc. Amer.* hinc quidem mandantis illic mandatum suscipientis. *l. 6 §. 1. ibid.*

9. Personæ quibus mandatum fieri & quæ mandare possunt eæ sunt quæ cum effectu obligantur, *Treit. th. 2. disp. cit. Tholos. n. 15. d. loc.* vnde non mandat furiosus, *l. 1. de proc.* non mulier in causa aliena si cedat in fraudem *S. C. Velleiani. l. final. §. 3. ff. ad S. C. Velleian.* recte quidem suscipit, modo non ei virile negotium mandetur; §. *1. de Inst. act. l. 3. de negot. gest.* quia alienam suscipere defensionem viri est officium & contra sexus reverendam, *l. 14. C. de proc.* Non pupillus sine tutoris auctoritate, qui tamen si locupletior fiat ex mandato obligatur, §. *pen. de relig. & d. l. 3. de Proc.* filiofamilias recte quoq; mandatur *l. mand. ff. de negotijs gestis, l. 12. §. 6. h.* ipse quoque mandare potest, in negotijs in quibus suo nomine ei datur actio. *l. 33. ff. de proc.* cum in ijs pro patrefamilias habeatur. Idem deseruis in his quæ facere possunt ratione scilicet peculij dicendum, *l. 33. cit.*

10. Si filiusfamilias aut seruus in rebus patris sue domini quid fieri mādent, cui quæratur actio & in quæ detur declarandum est, assentimur, *Bach.*

th. 2



*th. 2. lit. A. de mandato.* Domino quidem acquiri vi, *l. 1. C. de furt.* sed aduersus dominum non dari, cum extra causam peculiarem eius conditio à talibus deteriorari nequeat, aut nisi in rem domini, vel patris versum sit, actio proponi possit. *l. 1. de neg. gest. ff. l. 12. §. 4. ff. mand.*

11. Quid de excommunicato, & deportato sentiendum subijcit *Tr. loco cit.* nos tamen mediã quodammodo viam eligentes, quod Imperatori nostro non infrequens. *§. fin. d. Inst. qu. b. ex c. tu. manuunt.* & alijs pluribus locis statuitur mandare eum non posse quæ iuris civilis sunt, vtpote cum mediã capitis deminutionem deportatus incurrerit, *Inst. de c. dem.* ideoq; ea quæ Iurisciuilis sunt amiserit, ea tamen quæ iuris Gentium sunt; cum retineat, *l. 15. ff. de interd. c. & releg. l. 17. ff. de pœn. Bart. in l. amiss. §. qui desiciunt. ff. de c. min.* ergo & mandati contractum cum Iuris Gentium sit potentia non actu ce ebrare poterit.

12. Potest etiam mandatarius negocium susceptum scilicet extraiudiciale alteri demandare in iudiciali, alio iure vtimur præsertim post litem contestatam, per hanc enim procurator iudicialis dominus litis efficitur, *l. 4. §. fin. ff. de app. ll.* & proinde actio directa ei intenditur, vt ilis aduersus principalem.

13. Quod si plures mandatum susceperint singuli in solidum obligantur, *l. 60 §. 2. h. t.* quia mandatum continet factum, facta autem diuisionem non recipiunt. *l. 72. n. pr. ff. de V. D. Diff. Bach. th. 2. lit. D. h. loc.* vnus tamen solutione reliqui liberantur, vel quia vltcrius non interest mandantis quo casu actio mandati denegatur, *l. 8. ff. mand.* vel quia hæc est natura omnium ex quacunq; causa constitutorum correorum, vt vna tantum sit obligatio, quæ ad eod factio vnus correi siue credendi siue debendi tollitur, *§. 1. Inst. de duob. reis. l. 2. ff. eod. Buch loco cit.*

14. Materia mandati sunt res omnes futuræ *Treut. thes. 3. disp. cit.* nam factæ & præteritæ frustra mandantur, *l. 12. §. si post. ff. mand.* cum limitatio tamen posterius asserimus vt præteritorum etiam mandatum dicatur si accesserit rati habitio, quæ contrariam mandati actionem operatur, *Treut. loc. cit. l. 60. ff. de R. I.* rei autem incertæ ita demum nullum est mandatum, si res vel simpliciter vel secundum determinationem incerta sit, nisi precium sit certum, rei certæ precio vt cunq; incerto, verum nihilominus est mandatum, *l. 3. §. 1.* cum hic quanti communiter emi solet arbitratu boni viri mandatum intelligitur, *Bach. thes. 3. lit. A. & B. de mand. & soc.* rei ac precij incerti non est mandatum, nullos enim fines habet, ac proinde nulli custodiri queunt, quod est contra *l. 5. ff. h.*

15. Turpis etiam rei nullum est mandatum, *l. 2 §. 2. ff. mand. l. 35. ff. de contr. empt.* vnde nec in generali mandato vnquam dolus aut flagitum inclusum intelligitur, *l. creditor. §. Lucius.* mandata etiam qui talia exequitur, pœna potius quàm auxilio legis dignus. *l. auxilium. de minor. Dd. in l. 47. de R. I.* vnde fideiubenti pro adolescente luxurioso mandatu eius apud meretricem



actio mandati denegatur. *Vvesenb. h. l. num. 5. Tholos. num. 12. lib. & cap. cit. l. 12. §. 11. ff. mand.*

16. Quin & illud receptum est, si delictum mandatum, perpetravit mandatarius, & ob id multam pecuniarum solus incurrerit, eam à mandante recuperare nequit, tum quia lex nihil ipsius interesse fingit, *arg. l. 203. de R. I.* tum sibi imputet quod sua culpa & facilitate damnum senserit, *l. cit. delicta enim suos tenent auctores, l. 2. C. 2. de poen.*

17. Cum damnum dare intelligatur qui iubet, *l. 169. de R. I.* & deiciat qui mandat, *l. 1. §. 2. §. 1. ff. eod. iunct. l. 15. §. 1. ff. ad L. Cornel. de sic. ar.* hinc questionis est, an eadem poena mandans quàm mandatarius in mandato scilicet illicito, verbi gratia, homicidij teneatur: asserimus id ipsum *cum Tr. & Alleg. tum tū quia hæc res mali exempli est, l. 38. §. 5. ff. de poen.* tum quia hic causam mortis dedit, *arg. l. 15. ff. ad L. Cornel. de sic. ar.* 18. si verò mandator baculis quem cædi mandarit, quoniam hic intra terminos se continere potuisset, *Bach th. 3 lit G.* occisio non erit imputanda mandanti, extra ordinaria tamen via puniendus erit, cum animus & voluntas occidendi mandatori absit, qui ante omnia requiritur, *l. 1. §. 3 ff. loco cit. l. 53 in pr. ff. de furt.*

18. Non solum ea quæ contra bonos mores sunt mandare vetamur, *§. illud quoque Inst. de mand.* sed impedimur quoque mandare actus legitimos, quibus naturale est, per alium non posse experiri. *l. 123 in pr. §. de R. I.* eorum enim solennitates propriam personam requirebant, cuius rei vestigia extant *in princ. Inst. per quas pers. ager,* remanserunt hodie quidam iure Iustiniano quos tradit *Giph. lib. 1. de R. I. c. 14.* qui omnes ne hodie quidem mandari rectè possunt.

19. Forma mandati est nuda voluntate & gratuito impositum mandatum suscipere, de quo sufficit quacunque ratione constare, siue testato vel per nuncium vel alio modo, *l. 1. ff. mand. Vvesenb. n. 6. h. t.* Item siue verbo rogo, volo, mando, vel simili usus fuero, mandari, tum mihi, tum contrahenti pario actionem, *arg. l. 1. d. h. t.* dummodo animus obligandi extet & appareat, *Tholos. n. 16. Vvesenb. loco cit.* per consequens verba non mandandi animo prolata obligationem haud inducunt, velut commendaticia quæ vim rogandi potius quam obligandi habent, *l. fideicommissa. 11. §. 2. de legat. 3. l. 12. cit. §. 12. h. t.*

20. Porro in diem & sub conditione fieri potest, item inter absentes per epistolam, *d. l. 1. §. 1. & 3.* cui consensisse videtur, is qui eam accepit & non contradixit, *Tr. th. 5. lit. F. de mand.* imo accepta quæ vergit in præiudicium accipientis operatur pactum tacitum, *l. 16. ad Senatuscons. Maced. l. 36. in pr. ff. ad municip.*

21. Fit & mandatum ut quid fiat post mortem mandantis, *l. 27. §. 1. ff. mand. l. fin. de solut.* & expressè & tacitè. Expressè mandatur adhibita forma immediate tradita gesto, item negotio si rati habitio accesserit, *Dd. in l. Iulian. qui satisf. cog. Treut. lit. B. th. 3. h.* expressum mandatum intelligitur, taci-



racité fieri censetur, dum extraneus præsentis negotia administrat, *Myns. in rubr. Inst. h. t. l. si fideiussor. C. h. t. l. 53. ff. ibid.*

22. Cum ad formam huius contractus maximè spectare videatur ut fines eius diligentius obseruentur, *l. diligenter. ff. h. inde si forma rei gerendæ præscripta transgressa fuerit actio mandati denegatur*, quoniam qui excedit mandatum aliud quid facere videtur, *d. l. vbi tamen media ad finem rectè ductentia elegerit mandatarius competet ei actio cum hæc ex bona fide mandato inesse & simul commissâ videatur, sine quibus mandatum non rectè ad exitum queat perduci, l. 2. de Iurisd. c. l. 62. de proc.*

23. Finis mandati est, auctore Marco Tullio pro Rosc. Amer. ut quibus in rebus ipsi interessè non possumus in his operæ nostræ, Vicaria fides amicorum supponatur atq; ita commune commodum mutuis officijs gubernetur.

24. Cum autem mandatum ratione finis aliud sit gratia vtriusque, contrahentium, *l. 2. ff. mand.* nunc quod in Fauorem tantum mandatarij accidit an mandatum sit mandatiq; pariat actionem, videndum tale magis consilium dici oporteret, sed quia nemo, ex consilio in contractibus obligatur, *l. consilij de R. I.* ne tamen iniuria fieret ei qui inimicum putabat amicum ideo prædicta regula, cessat tribus casibus, quos vide apud *Myns. Inst. §. tua tantum. n. 2. 3. 4.*

25. Effectus huius contractus est, ut pariat obligationem ex parte sufficientis ut perficiat mandatum, *l. 22 §. si. ff. h. forma præscripta, arg. l. 5 ibid.* ac quicquid inde consecutus præstet, *l. 8 §. fin. ibid.* ex parte credentis ut indemnem seruet recipientem, ita ne damno afficiatur ex suo officio, *l. 15. ibid. VVesemb. h. n. 8.*

26. Ideo consentaneum seruum quem mandato meo emisti si furtum sine culpa tua fecerit eum pro noxa dedendo me non liberari, verum & interesse præstare oportebit, vbi specialiter rogarim, ut talem emeris, secus si in genere, *l. inter causas §. 7. h. t.*

27. Cæterum mandatum si renunciatum fuerit, ut mandatori ius referretur per se vel alium rem cõmode explicandi, *l. 2. si mandauero. §. cit. euanescit §. recte quoq; Inst. h.* potest tamen certis casibus postquam cõceptum est interesse mandantis contraria voluntate dissolui interueniente aut aduersa valetudine, aut si inanes rei actiones enatæ fuerint, denique inimicitijs capitalibus exortis, *Myns. Inst. §. mand. n. 2. Tr. th. 5. lit. D. h. loc. VVesemb. n. 11. de proc.* vel si rei publicæ causa mandatarius abfuturus sit, *l. 8. de proc.* aut alleget aliam riuistam causam. *l. 10. ibid. Tholof. n. 22. loc. cit.*

28. Cum mors soluat omnia tam ea quæ iuris civilis, quàm naturalis sunt, hinc nõ inconuenienter morte quoque re integra vtriusque contrahentium mandatum dissolui afferimus, nisi sit collatum in tempus aut ex natura sua tale sit quod non nisi locum post mortem habeat, *arg. l. 12. §. vlt. ff. mand.* in procuratore tamen ad litem, cum industria quæ personæ coheret intelligatur electa, *l. vnic. §. ne autem. C. de caduch tollend. & cum inter ingenia*  
homi-



hominum magnum sit discrimen, *l. 31. ff. de solut.* etiam re irchoata nihilominus soluitur mandatum, vtilitatis tamen gratia receptum est, vt interueniente iusta ignorantia mortis, quod gestum est à mandatario, post mortem mandantis non reuocetur, sed habeat actionem mandati. *l. 58. ff. mandati.*

29. Ex hoc autē contractu dantur actiones, Directa, & Contraria, prior datur mandatori, eiusq; hæredibus ad id quod interest, *l. 16. C. mandati*, si mandatum non sit impletum, *l. 27. §. 2. ff. h.* vel perperam aut contra formam præscriptam gestum, *d. l. 5. h. t.* cum autem electio fidei certi hominis in hoc contractu fiat, proinde si mandatarius quid dolo malo gesserit iudicio mandati refarciat, *arg. l. 42. ff. mand.* omnia enim ex bono & æquo præstare obligatur *l. 2. fin. de oblig. & act.* dein si nolit persequi vel exigere procurator quod potest, aut soluere recuset quod exegit, *l. 44. ibid.* cum in his dolose versetur, eadem actione tenetur.

30. Porro culpa in hoc iudicio bonæ fidei, §. 2. *Inst. de act.* præstanda venit, lata & leuis, leuissima his casibus si conditio rei exactissimam diligentiam requirat, etenim regulam ponit natura contractuum, exceptionem rei qualitas, *Bach. lit. B. & C. loc. cit.* cæterum bonam fidem præstare & culpa fraudeue carere sufficiat, *arg. l. 8. §. vlt. ff. mand.* de casu fortuito non tenetur mandatarius nisi ad eum se obligauerit vt licet in hoc contractu, *l. contractus de R. I. l. & Aristoni. ff. mand.*

31. Condemnatus hoc iudicio infamiam subit, *l. 1. de his qui not. infam.* nō minus enim turpe est hoc iudicium quam furti, cum res sanctissimas violet, amicitia & fidem, auctore *Tull. orat. pro Sexto Rosc.* his scilicet casibus si de dolo conuictus sit aut præstare recuset, quod via mandati ad eum peruenit, hoc enim bonæ fidei congruit, ne de alieno lucrum sentiat, imo ex mora vsuras dependet si Dominus scenerari solitus sit, *l. qui semisses 13. de vsur.* si minus nec tenebitur ad interesse, *Tholos. c. 5. n. 24. lib. cit. l. 10. §. 3.* mandati, quod si de pecunia tradenda alteri mandatum suscepisset, eam autem in suos vsus conuertisset, an furti & mandati actione teneatur, propositionis est, & placet eum vtraque teneri *l. 22. l. si §. tibi. ff. h.* licet idem admissum pluribus legibus punire non oporteat. *l. 1. senatus de cust. & exhib. reorum.*

32. Contrario iudicio experiuntur, qui mandatum in se susceperunt, *l. 12. §. 7. h. t.* ad repetendos sumptus in exequendo factos. *l. inter causas 26. §. fin. & l. 56. §. vlt. ff. mand.* & quicquid demum mandatarij villo modo interest. *l. 12. cit. §. si mihi.* licet negotium non impleverit iuste imeditus. *l. etiam si C. eod.* agit & mandatarius vt sumptus necessarij suppeditentur, sine quibus mandatum exequi nequit. *l. si vero. §. vlt. h. t.* Hæc autem eo diriguntur, ad seruandum scilicet idemnem mandatarium, cum fidei officium amico postulanti præstet. *l. 7. ff. testam. quemadm. aperi.*

33. Excedens mandatum nō tam in eligendis medijs, sed specialiter prohibente mandatario rem emens eius tamen contemplatione si vtiliter gesserit nec mandati, nec negotiorum gestorum actionem habere, verius est,

*l. vlt*



*l. vlt. C. de neg. gest.* at vero, non nominatim interdicente, si vtiliter gesserit rati habitatione non opus erit, sed negotiorum gestorum actionem ei competere *Cum Mysf. Inst. §. 15. qui exequitur n. 3. & l. pomponius, de neg. gest. iur. da. Tr. th. 7. de loc.* concludimus relicta mandati actione quantum nimirum atinet ad id quod excurrit dummodo, vtiliter gessit.

34. Cum videri suum officium damnosum esse debeat. *arg. leg. 1. ad SC. Maced.* hinc dubitatur an ea quæ per spolia aut naufragia amittit mandatarius mandati actione contraria repetere queat cum hoc magis casibus quam mandato imputari oporteat. *l. inter causas. §. non omnia ff. hic cum Tholosan. 31. loc. cit.* affirmamus ea iure repetere posse cum æquum sit vt qui amice pro aliorum negotijs se periculis sine culpa exposuit damnum ex officio non feriat iuxta. *l. si quis signatoribus. cit.*

35. Cum mandata gratuita sint iuxta *l. 13. ff. de præscriptis verbis* suaque originem ex officio & amicitia trahant, *l. 11. ff. man.* quæstionis est an in mādato honorarium siue salarium interuenire possit & qua actione illud ipsum petatur, ad hunc scrupulum tollendum distinctione ex *VVesemb. defignam vel conuentum & promissum est salarium sine certa tamen mercede alioqui erit locatio. §. fin. inst. h.* super facto quod locari non solet, & competet actio ex stipulatu, si stipulatio interuenerit, vel extra ordinem, aut præscriptis verbis *VVesemb. n. 12. parat hoc. tit.* eoque casu mandati actio denegatur, *l. 1. C. eod. l. salarium. 7. ff. h.* si incertum promissum sit super facto quod locari solet dabitur ex contractu innominatio faciovt des. *ita Bach. th. 1. litt. E. in fin.* quod si in genere incerta tamen pollicitatione quid promissum sit, exigi non potest. *l. qui mutuum 56. §. salarium in fin. h. 1.* nisi extra ordinem vel præscriptis verbis ab ijs qui lucri causa suam operam præstare intelliguntur, vt medici, Aduocati, & procuratores ad litem, Item artifices *arg. l. 22. de præsc. verb. l. 1. §. 1. ff. de extra ord. cognit. l. 1. C. de suffrag.* demum si quid promissum in genere, non in certa tamen pollicitatione competet actio mandati *Mysf. §. in summa Inst. n. 3. h.* Remuneratio etiam huic contractui accedere potest nec eum viciat, *Tr, loc. cit.* quia quædam honestè accipiuntur, licet inhonestè petantur *l. 1. §. 5. ibid.*

36. Coronidis loco addenda videbatur, hæc propositio, an fideiussor cui creditor donandi causa remisit actionem contra reum principalem mandati agere possit fatemur id *per L. 10. §. vlt. ff. mand. eum si remunerari voluit fideiussorem actionem mandati habere non aliter ac si pro reo soluisset, si vero principaliter donauit actio mandati cessat quod si reus non fuisset reuera obligatus fideiussor tamen inscius huius creditori satis fecisset, quod si in iure errauerit cadit actio, secus si in facto. l. si. fideiussor 29. §. 1. ff. h. soluens vero intermissa exceptione procuratoria mandati non aget *l. cit. §. quadam.**



DE SOCIETATE.

37. Definitur societas quod sit contractus Iuris G. l. *ex hoc iure ff. de inst. & iur. bonæ fidei arg. l. vnde, ff. h. in quo contrahentes societatem ineunt. Myns. inst. h. l. in Rubr. n. 2.* eo animo vt res, Baldus l. 2. C. de contr. emptione. operæque earumque rerum lucrum & damnum inter eos comunicetur. *Vvesenb. in part. h. r. n. 2. Munnoz. tract. de soc. c. 1. n. 4.*

38. Hinc si atres in bonis parentum indiuisis habitantes an socij sint quæstionis est, negat *Treut h. th. S. disp. 27. Myns. inst. §. 1. n. 4.* quibus nos subscribimus contrariante hoc loco *Bach. th. 3. litt. B.* nam etsi socij dicamur respectu cõmunions in quam incidimus vel factõ naturæ, vel factõ hominis, imo hæc cõmunio societas appelletur, *Lad officium, C. de com. d. uid.* tamen proprie societas non est, ea scilicet quam nos definimus; sed talis quæ nullo contractu mediante constituitur, cum nostra non nisi interuenientibus pactis aut stipulatione *arg. l. 4. ff. h. r. locū habeat. Tholos. in ingressu huius materie, n. 3. c. 4. l. 27.*

39. Est autem societas aut publica, vt vectigalium. *l. 59. h. r.* aut priuata quæ diuiditur in particularem, aut certæ negotiationis *l. 1. ibid.* aut certæ rei *inst. in pr. h. r. & vniuersalem, l. 1. h.* aut omnium bonorum specialiter aut simpliciter, *iuxta Bach. loc. cit.* in priorem veniunt omnes facultates, & obuenientia titulo lucratio *l. 3. ff. pro. soc.* in posteriorem computantur ex quæstu comparata. *l. 7. ibid.*

40. Causa efficiens huius contractus est consensus qui fit animo contrahendæ societatisque vel expressus. *l. 19. h. vel tacitus l. 4. ibi.* hic tamen non operatur societatem generalem omnium bonorum, sed consensum verbis expressum requirit, cum possit alteri esse nocitiua, qui utique in bonis alteri sit superior ob inæqualitatē lucri & damni inde emergentis, *iuxta l. 7. cum seq. ff. h.* cum sola colatio rerum societatem non constituat, quia utique forma vt est consensus *l. qui admittitur.* non materia dat esse rei *l. Iulianus §. 3. ff. ad exhibendum.*

41. Porro societatem contrahere cui libet liberum, nisi lege aut natura arceatur *arg. l. sicut ab initio ff. de obl. & act.* ideo pupillus sine tutoris auctoritate, ex societate coitanon tenetur, *l. in conductionibus. ff. h.* Cum filiofamilias tamen iniri potest, & cum seruo, *l. 58. & seq. ff. ibid.* *Tholos. in suis syntag. n. 3. loc. cit. Munnoz. n. 16. c. 3. tract. de soc.*

42. A mulieribus etiam societatem contrahi, est textus in *l. alimenta §. finali, ff. de alim. & cibar. leg. & in l. ex diuor. §. 1. ff. solut. mat.* nec cum extraneis solum verum & cum ipso marito contrahit nec difficultatem parit asferere non posse cenferi, contractum cum Marito quia ei operari tenetur. *Bart. l. rei Iudic. l. sicut. ff. de oper. libert.* verum est, tenetur quoad obsequia matrimonialia sibi tamen acquirit exercendo mercaturam, vel artem, cuius peritiam habet, & in his societas subsistit. *1. ff. Menoch. conf. 154. n. 15. lib. 2.*

43. Contrahitur societas de quibuslibet operibus honestis, *l. 71. h. r. & rebus*



rebus quæ in commercium cadunt. *l. 65. §. fin.* ac conductione publicarum functionum. *l. soc. & l. adco. ff. pro soc* nec minus super precio rei vendendæ *l. si arca ff. de præc. verb. Menoch. in Conf. 122 n. 28. li. 2.* quam hereditate ventura. *l. 3. h. t.* exemplo huius & de rebus quæ virtute non actu sunt, societas iniri potest, *arg. l. r. ff. de contra empt.*

44. Cessat societas conuentionalis in rebus turpibus. *l. 57.* vnde quæ furto aut iniurijs actiue parta inter socios non communicantur, passiuè ex his quæstia, in societatem imputantur, frustra repugnante *Rolando cum l. 52. §. vlt. h. t.*

45. Nec donationum tantum recte contrahitur societas *l. 5 §. fin. ff. h. vt. pote* quæ ad vtilitatem ex coniunctis operibus communicationeque rerum comparandam & quæstus gratia excogitata, *arg. l. 7. h. VVesemb. parat. n. de soc. Myns. instit. in rubr. h. t.*

46. Aliquando tantum societas initur operarum & industriæ, damni ac lucri inde aduenturi tantum *l. cum duobus. §. quidam ff. h. fit* & interdum vnius industria cum pecunia alterius efficaciter quia non raro industria præponderat rebus & lucrum accelerat *l. i. C. h.*

47. Forma societatis ex consensu nascitur *l. 2. de A.* qui demonstratur re, verbis & per nuncium, *l. i. h.* qui durat perseverante consensu sociorum, *l. tam diu. C. pro soc.* & quia pactioes legitime contrahentium, omnino sunt seruandæ, pure & sub conditione fieri potest *l. i. C. h.* simpliciter, & pactioibus adhibitis.

48. Contracta tamen simpliciter non interposita distinctione eorum tantum quæ ex quæstu veniunt coita reputatur, *l. coire 7. ff. pro socio.* Cui nec hæreditates nec legata obuentionia acquiruntur, quemadmodum, nec ei quæ specialiter vniuersalis, quauis via obueniens hæreditas debetur, vbi enim de legitima communicanda pacto cautum fuerit, hac specie ab intestato tantum debita societati acquireretur *l. 3 ff. h. Tholos. loc. cit. n. 14. c. 4*

49. Cum autem communicatio lucri & damni in hoc contractu sit seruanda *l. 67. h. t.* idque per partes commodius fiat, hinc pacta circa eas constituendas excogitata, quæ si adiecta fuerint, cum legem contractui dare dicantur ijs stabitur *l. 29. h. t. pr. instit. §. i. h.* quod si igitur de diuisione in specie cautum non sit, pro quilitate industriæ & quantitate communicatorum bonorum, arbitrato boni viri seruata proportione Geometrica fiet diuisio *l. 6. ff. pro socio VVesemb. part. h. n. 6. Tr. disp. cit. th. 8. Tholos. n. 15. loco cit.*

50. Hæc inæqualitas vt Titius duas partes damni, vnam lucri, Seius duas lucri vnam damni ferat, ita demum recepta est, si opera socij tanti sit, quanti verisimiliter damnum esse queat. *VVesemb. parat. n. 6. loc. cit. instit. §. 2. h. l. si non ff. ibid.* lucrum autem intellige quod compensato damno superest. *Bach. th. cit. litt. B Tholos. loc. cit.* & damnum deducto lucro, quia contrariorum eadem est ratio & disciplina. *l. i. de his qui sui vel alien. iur.*

51. Quod si nullæ partes, sint cõuentione constitutæ, ad quæ pecuniæ amissæ



damnum spectet altero operam tantum, altero pecuniam tantum conferente, controuertitur, scriptum hunc distinctione à *Bach. lit. A. th. 9. & Munnoz. in tract. de soc. n. 4. & s. c. 16.* tradita Tollemus. aut communicata fuit fors ut sine societatis proportionem Arithmetica, distribuatur hoc casu, operam conferens ex qua parte intendit percipere lucrum in eadem periculum eum sustinere est conueniens. *l. si non fuerint §. fin. l. cum duobus. S. quædam sagar am. ff. pro soc. l. manifestissimi. C. de furtis.* ubi pecunia non fuerit comunicata quia in fine societatis ea ponenti restitui debet, cum res domino perire intelligatur *l. quod furtis C. de pign. act.* solus damnum feret, socius siquidem qui operam & industriam tantum confert cum horum amissio ei soli damno sit quia lucrum inde sperat ideo capitale, conferendi periculo erit quia & is suum commodum inde expectat cuius enim rei lucrum eius quoque damnum nos manet, *l. si Titius ff. de præc. verb.*

52. Occasione præcedentis assertionis animaduertendum est, quod pecunia generaliter, seu fors ab uno in societatem collata communis non sit ac proinde finita societate, diuidi non debeat, nisi aut pacto, nostra conclusioni sit derogatum quod fieri potest *Munnoz. loc. cit.* dum alter operam pecuniæ & usus ipsius æqualem in societate aliquo tempore posuerit, alias enim operam conferens eam plane amitteret altero pecuniam in saluo retinente. quod societatis naturæ repugnat, *l. si id. quod 58. in. pr. §. Celsus h.*

53. Cum igitur societati proprium sit, iure quodam fraternitatis lucra & damna inter se communicare. *l. 51. cum duobus §. 3 ff. h.* quæ ex causa societatis non aliunde accidunt. *V. Vesenb. par. n. 9. §. d.* inde quæstum an sumptus studiorum filio, aut dos filiarum collata imputentur societatis, affirmamus cum *Tr. & Bach. th. 8. lit. H. l. 81 ff. pro soc.* imputentur societati omnium bonorum speciali non simplici *arg. l. 39. ff. fam. ercisc.* & ratio euidentis cum omnia in hanc societatem hæreditates, legata, & donata, veniant. *l. ea vero ff. h.* iure merito & quæ honestas & ratio paterni officij requirit, *l. ult. C. de dotis promissione.*

54. Hinc etiam expensas in implendo voto & Eleemosynis de communi fieri oportet. Cum agendo de honore mundi, hæc ex communi fiant æquius est, ubi de salute animæ agitur ut idem ius statuatur cum etiam impensæ in naturalem morbum socij adhibitæ societati vniuersali vel particulari, si eius occasione in morbum inciderit, imputentur, si tamen agatur de morbo Gallico in hoc rigorosè agendo dicerem expensas non ex societate sumendas ubi id ex mala conuersatione habita cum meretricibus sibi acquiserit. *arg. l. adeo. §. fin. ff. pro soc. Munnoz. de soc. n. 5. 6. 15. c. 26.*

52. Cum causa finalis sit ea quæ ab agente principaliter consideratur iuxta, *philosophos & Bald. in l. 1. n. 17. C. de fals. caus. adicè* hinc euenit, ut quæstus in cuius gratiam excogitata societas finis huius contractus constituitur, & consequenter utilitas publica ut enim per magnarum negotiationum exercitium pluribus opem operamque conferentibus copiosius res necessariæ

fariæ



fariæ importentur, & annonæ charitas contra monopoliis hac via euitetur introducta est societas *Vvesenb. h. n. 8. parat. Tholoj. n. 16. loc. cit.*

56. Cum ergo eo limet societas ad questum ex communione vberior: em hinc focus si adsit ipsius interesse, domum cõmunem locari solitam etiam cum socij vtilitas non vertatur, dummodo locatio damno ei non sit, locare potest. *l. fistulam. §. en. & fin. ff. de seruit. vrb. prad.* nec pro parte facienda erit secundum Menoch. in tract. de arbit. iud. casu 442. n. 4. sed tota etiã inuito altero *Bald. in l. qui test. fac. p. ff. & ratio quia socius mandatum in vtilibus à socio habere inte ligitur Gloss. l. 68. h. t. ltr. K.* nisi Confocius ipse inhabitare vellet suam partem, quod si locare extraneo proponeret si idem precium inhabitans, dare promittat nihil obtinebit cum ipsius non interfit *Munnoz. loc. cit.*

57. Cum nihil tam naturale sit quam vt eo genere dissoluatur quo coniunctum *l. 3. ff. de R. I.* ob id cum consensu societas constituatur dissensu itidem dissoluitur *l. tam diu Ch. tr. th. 11. disp. c. t. Vvesenb. parat. n. 11. h. Myns. Inst. n. 2. manet* aut soluitur & ex personis contrahentium si interierint vt morte ciuili, *l. 63. §. fin.* aut naturali. *h.* quia personæ industria electa intelligitur *l. 40. ib. ea* intermoriẽte ipsa quoq; societas soluitur idem ex rebus vt cessione bonorum *l. 4. §. vlt. l. 65. §. 1. ff. h.* facta propter oppressionem æris a ieni sola tamen decoctione nisi celsio subsequatur nõ soluitur *Treu. loc. cit. lit. C. inst. h. §. 8* accidit & publicatio bonorum socij quæ hoc ius fraternitatis finit *l. verum ff. h.* denique ætione distrahitur cum aut stipulatione aut iudicio mutata est causa societatis *l. 65. actione ff. in pri.* tandem si paciscatur socius, ne partem suam petat effectu tollitur societas *l. in hoc iudicium 14. §. fin. ff. de comm. diuid.*

58. Renunciãns vt commodo imminente solus ganderet cum dolus hac specie subit, damnum possit illam fraudulentam renunciacionem, eum quidem solum manebit atramen quod lucrum sensit indistincte socijs comunicabit, *Munnoz. loc. cit. n. 18. l. 5. §. 6.* non aliter quam is qui societate contracta pro emptione certæ rei dolosè renunciãns socijs in id quod ipsorum interest condemnatur ita & hic secus si sine fraude renunciãt *§. diximus d. l.*

59. Etsi societatis in æternum nulla coitio sit *l. 70. h. t.* potest tamen, de renunciacione caneri quia & ipso iure societatis intempestiua renunciatio in æstimacionem venit *l. sed & socius 17. §. fin. ibid.* Certis tamen casibus pænã renunciacionis non irrogatur, hinc minus actione pro socio tenebitur qui ideo renunciãuit quod pactioes societati in initio adiectæ non obseruarentur, aut si ad iniuriandum vel rixandum pronus sit socius vt non expediat in hoc contractu diutius permanere. *l. 14. ff. h.*

60. Quod si renuntiatum fuerit à socio, mihi vero & societati interfit eam non dirimi competet mandati actio, at vbi mea tantum interfuerit societati vero conducat eam dissolui repellor ab agendo quia vtilitas communis priuatæ anteponitur, deinde si renunciatio mihi damno futura sit & societati



tati nec damno nec lu'ro, & hac specie actio denegabitur, aut mea non interest & actionem proponere non licet, sed alij quorum intererit, ita magistraliter distinguit ex Gloſſa. *Munoz. l. 1. et. §. 5. vers. proc.*

61. Pactum de nunquam diuidendo in societate prohibetur *l. si fratres §. 9. h. t.* sed ne intra certum tempus diuidatur quod ipsius rei qualitati sæpè prodest obtinet. *l. 14. ff. de comm. diuid. §. 2. sic ratione pacti*, quis in conuentione esse cogitur præter iuris regulam positam *l. fin. C. de comm. diuid.* nisi legitime interueniat causæ desertionis. *Tholof. c. 4. de soc. n. 21. li. cit.* desertia tamen societate rerum superest diuisio *l. actione. §. si post distractam, vers. nam etsi.*

62. Pacto præcedenti thesi proposito etsi iuramentum accesserit nec illi standum est per *l. 14. ff. de comm. diuid. §. si conueniat.* nisi de re particulari, non diuidenda iuratum fuerit, a iud tamen in societate vniuersali statuimus & bene, siquidem admisso tali pacto libera testandi facultas tolleretur *Bar. l. adeo ff. pro. soc. Munoz. c. 39. n. 74. tract. de soc.*

63. Stipulatio pænalis apposita contractui societatis de non violando pacta eius licita & lege permisa est *l. si quis à socio. & l. seq. & in l. 71. duo societatem, ff. pro soc.* itaque conuentiones si minus obseruatæ fuerint, pœna ratione contemptus ijs adiecta, in ea quantitate quæ iudicis arbitrio taxabitur præstanda erit, si vero non excedit duplum exigi poterit *l. sciendum 52. ff. de euictionibus.* si adijciatur pœna loco interesse contractui habenti certitudinem quantitatis, duplum hæc pœna nequit excedere, aut ubi contractui in certum continenti addita fuerit verum interesse non transcendit hæc specie pœnam moderandi qualitas à iudice pendere potest, conuentionis nihilominus substantia pendente à partibus *Menoch. tract. de arbitr. Iud. casu. 260. n. 16. Munoz. l. cit. c. 29. n. 8. 9. 10. 11. 12.*

46. Cum autem natura contractuum sit vt pariant obligationes *instit. de obl.* quarum effectus producere actionem idcirco de actione pro socio, quæ ex hac obligatione nascitur. *l. licet §. ea ff. de procur.* dispiciendum, quæ est actio generalis *l. 38. ff. h. Bach vlt. th. de mand. & soc. directa Vvesenb. parat. num. 12. Mynsing. instit. de act. §. rei persequenda num. 67. §. ex quibusdam Instit. de pœna temere litigantium,* bonæ fidei rei persecutoria. *87. & l. 50. h.* quæ competit pendente & dissoluta societate, pendente si agatur vt pacta seruentur *l. 53 §. 1. hic. item vt communicetur, vel referatur in medium quod ad alterum peruenit d. l. act. § penult. dissoluta datur ad personales præstationes l. 1. ff. de comm. diuid. nec non ad impensas repositandas hoc sine factas. Tholof. loc. cit. n. 22.*

65. Aliæ idem sunt causæ agendi cum enim sit hoc iudicium bonæ fidei in eo bona fides seu dolus *l. 23. de R. I.* præstandus est. remittitur tamen quædoque dolus hac distinctione, aut agimus non de doli remissione. sed de actu remittendo ex quo dolus præsumitur & remissio fieri potest, V. G. quod socius non teneatur conficere librum rationum exacte & stricte, ex eius



cuius enim non confectioe, remissa, dolus præsumeretur *l. quidam in pr. ff. de edendo* aut agimus de remittendo ipso dolo, hic siue consistat in committendo siue in omittendo, talis remissio illicita est, & contraria iudicio bonæ fidei *l. contractus de R. I.* Cum per hanc delinquendi occasio daretur *arg. l. illud conuenire ff. de pac. dotal.* hæc tamen de remissione facta tempore contractus societatis intellige finita cur non fieri possit, haud est dubium.

67. Cum vero in omissione lucri dolus contineatur, socio vni ab altero per pactum quod exercere & lucrari non debeat, remitti nequit, quia cum hæc pacta destructiua societatis sint cum ipsa stare non poterunt. *Munnoz. num. 17. cap. 2. loc. cit.*

67. Contra socium ergo dolosum experimur non solum vt eum actione pro socio resarciat sed ei in litem quoque iurari potest, vbi enim pecunia ad mercandum data fuerit, nec socius cum posset ea negotiatur contra eum in litem iuratur, *Munnoz. c. cit. num. 21.* dolus enim præsumitur in eo qui non facit quod facere potest, hac tamen specie datur iuramentum in litem socio aduersus confocium si bene informatus sit de rebus super quibus iurare intendit *Seras. tract. de priuil. iur. priuil. 23. num. 27. Munnoz. num. 23. loc. cit.* inter socios tamen qui sunt in pari dolo, compensatio admittitur, *38. si duo ff. de dolo.*

68. De culpa lata socium quoque teneri manifesti Iuris est. *l. rei communis. l. cum duobus §. venit. ff. h. loc.* & leui cum eam diligentiam adhibere teneatur rebus societatis quam suis adhibere consuevit, tempore contractus. *l. socius socio ib.* vt enim æqualitas in societate seruetur vno sortem altero opẽ conferente inspiciunt solertia & diligentia socij *l. si non fuerint. ff. pro. soc. Munnoz. tract. de soc. c. 21. num. 4. 5. Tholos. num. 22. d. loc.* tenetur quandoque de leuissima non ex propria natura societatis sed quia ita conuentum fuit vt lege licet *l. 1. §. si conuenit ff. de pos. aut si diligentissimus erat in suis rebus, denique, si custodiam in se suscepit. l. qui mercedem ff. locati. Menoch. conf. 353. num. 17. lib. 4.* constituta sibi recompensatione in lucro quod iure admittendum, quia huius contractus naturam non corrumpit, habet enim remunerationem condignam, at vero si de custodia pactus sit nulla recompensatione sibi constituta de propriissima custodia censetur contraxisse quæ in omnibus socijs requiritur *num. 13. tract. de soc. c. 21.*

69. Præsumitur autem culpa ex actu qui absque ea committi nequit, vt in furto, ea tamen qui facit quæ à maiore parte hominum consueta sunt fieri in culpa non est *l. qui sit furtiuus §. apud labionem. ff. de edil. edict.* Celsat tamen ista præsumptio culpæ in furto, septem casibus, quos videre est apud *Munnoz. d. l. num. 37. 40. 41. 42. 43. 44. 45. consequenter c. 21* & quamuis furtum culpa commissum, non tamen leui, sed leuissima præsumitur *Bald. in l. iudic. C. de loc. eaque in omittendo non committendo. loc. cit. num. 46.*

70. Cum



70. Cum regula Generalis sit quamlibet causam à culpa excusare, arg. *l. igitur ff. de lib. cant.* hinc socius si causa legitima & probabili apud iudicem se purgare petierit remouendus non est, verum quæ cum excusent, ne culpam apparentem iudicio hoc resarcire teneatur *tradunt. D.D. apud Munnoz.* vbi enim fecit quod potuit culpa vacat, *l. quemadmodum §. si nauis ff. ad leg. aquil.* aut quod non potuit præuidere, seu diuinare ratione huius, de culpa argui non poterit *virique §. culpa ff. de rei vindic. l. 3. ad §. C. Maced.* aut si vtatur, re ad eum vsum destinata *l. arboribus §. nauis. ff. de vsu fructi. §. religiosum Inst. de rerum diuisione.*

71. De casu fortuito se excusare necesse non est cum de eo socius non teneatur *l. cum duobus §. damna ff. pro. soc.* hinc si eum allegare velit ad excusationem siue agendo siue excipiendo in primis casum probabit. *l. Testium. C. de Test.* rei que amissionem aut damnum in eo casu factum. *l. si quis argentarijs §. 9. prohibet. ff. de eden.* quod vero casus sine eius culpa acciderit demonstrare non erit opus, si talis sit à quo culpa separata esse solet, vt in impetu aquarum, at si persæpè ei culpa coniuncta reperitur sua negligentia accidisse præsumitur nisi contrarium docuerit, *Bald. in l. si creditor. C. de pign. act. Bart. in d. l. si quis argentarijs §. penult ff. de eden. Munnoz. c. 25. t. d. n. 48. & 89.*

SOL IDEO GLORIA.






X 2874408

94 A 7386

VD 17









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

# Farbkarte #13

# B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

LEGALES,

# A TO TATE.

C E,

Viris, ac DD.

o, I. V. Doctore, & S. LL. Licentiato, & Fisco.

inensis Academia Iu- blice proponit

er/ Sigmaringanus, DC. XXIX.



PINÆ, ope Augustinianos.

